

Doctissime ac Clarissime viri.

Tuam jam ante aliquot menses in Celeberrimam Batavorum Academi-
am factam vocationem cum intellexissem, serio mihi met ipsi gratulari
coepi, repertum fuisse qui necessarijs instructis dotibus in locum magni
nostri Spanhemij praecceptoris quondam mei cum Geneva viverem suavif-
simi opportune sufficeretur, imprimis vero quod talem te nossem, quo
in Lingua S. (cui egomet me totum devovi) reliquarumq; Orientalium
notitia peritorem Respublica Batava hodie non habet. Testantur
id doctissime tuae in isto studiorum genere lucubrationes, quarum
ope, sine ullo tuo incommodo familiaritate tua ab eo tempore
suaviter uti coepi quod primum ad manus meas devenere, nomenq;
tuum apud me usq; tritum & vulgare redditum fuit, ac si multis annis
confortio tuo potitus fuisset quem tamen de facie nunquam videre con-
tigit; jam vero propior nobis factus cum sis faciliorem tui videndi
compellandiq; occasionem praebueris, unde majorem exuditione tua fru-
ctum mihi polliceor, non quod ad literarum commercium te invita-
re velim, (gravioribus enim negotijs te jam implicitum esse novi)
sed quod opportunitatem nactus sis, qua sapienter doctissimis tuis
laboribus bono publico destinatis nos beare possis. Notas tuas
in Psalmos quas Psalterium cum versione tua Editione promisit
videre vehementer desidero, similes ego ad novam quam vester le
Maire ^{hoc anno} paravit, editionem addidi, sed breviores duntaxat, Typogra-
pho potius quam mihi met ipsi satis faciens, ex tuis autem quod di-
ci vel non dici oportuerit, erudiri cupio. Orationem etiam tuam
inauigralem quam de judaeorum pertinaci in Christianam fide
odio doctissimam te habuisse Venerandus noster Rivetus mihi dixit,
typis procul dubio vulgatas avidè expecto. Interim minusculum quod
a tenuitate mea proficiscitur accipe, quinquenniij laborem vides, cujus
institutionem primo intuitu agnosces, an vero scopum quem intendit attingere
possit nemo te peritius judicare poterit, quapropter illum tuo
exquisitissimo tuo iudicio plane subijcio, cujus approbationem si im-
petret, iniquorum praecocem crifin non pertimesco nec magni facio.
Vale, viri celeberrime, deoq; propitio egregiam illam incompara-
bilis quondam viri Sixtini Amama de te expectationem, jam
in summo literarum & literatorum theatro constitutus, pro ut
coepisti, magis ac magis adimple, plurimumq; saluto ~~q~~ ab eo
qui eruditioni tuae asurgit

A. Hulsius.

Scriptum Bredae. 23. Nov.
1650.

Celebrimo Viro
J. Cecejo
S. S. Theolog. In
Academia Lugduno-
Bataru Professore.

Leyden.